

## INCIPIIT EPISTULA PETRI I

<sup>1</sup> Petrus Apostolus Jesu Christi, electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, et Bithyniæ,\* <sup>2</sup> secundum præscientiam Dei Patris, in sanctificationem Spiritus, in obedientiam, et aspersionem sanguinis Jesu Christi. Gratia vobis, et pax multiplicetur.† <sup>3</sup> Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis,‡ <sup>4</sup> in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem, conservatam in

---

\* **1:1** Argumentum Discipulos Salvatoris invicti, toto orbe diffusos et peregrinos in hoc sæculo monstrat, et præteritæ vitæ pœnitere suadet et in novam vitam proficere, tota cum sollicitudine exhortatur Simon Petrus, filius Jonæ, provinciæ Galilææ, vico Bethsaida, frater Andreæ apostoli. Advenis. Bed. Advenæ Latine, Græce proselyti, etc., usque ad habentes: Charissimi, obsecro vos tanquam advenas et peregrinos. Dispersionis. Anno ascensionis mortuus est Stephanus, et multi timore dispersi. Ponti. Omnes hæ provinciæ Græcorum sunt in Asia, sed est et alia Bithynia in Europa: de qua illi qui in Asia sunt Bithynii originem habuerunt. Illa autem quæ in Asia est Bithynia, major Phrygia vocatur, quæ Hiera flumine a Galatia disternitur. † **1:2** Gratia. Sine gratia Christi, ad pacem reconciliationis ejus nunquam venit, nihil pacificum nisi per gratiam ejus habere valemus. Et pax multiplicetur. Id est nulla adversitas retrahat vos a laudibus Dei, omnis tribulatio invitet vos ad laudem, quia omnia ad felicitatem multiplicantur: ut quod bene cœpistis, perfecte compleatis. ‡ **1:3** Regeneravit. Bed. Cum nostris meritis generati essemus ad mortem, etc., usque ad ut per munditiam sitis cœli et sedes Dei.

cælis in vobis, §<sup>5</sup> qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo. \*\*<sup>6</sup> In quo exsultabis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus: ††<sup>7</sup> ut probatio vestræ fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem, et gloriam, et honorem in revelatione Jesu Christi: ††<sup>8</sup> quem cum non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non videntes creditis: credentes autem exsultabitis lætitia inenarrabili, et glorificata: <sup>9</sup> reportantes finem fidei vestræ, salutem

---

§ **1:4** Incorrumpibilem. Naturaliter non est anima incorruptibilis, sed gratia Dei per fidem et justitiam ad intellectum perficitur incorruptibilis. In vobis. Qui dedit vobis credentibus potestatem filios Dei fieri, posuit in vobis illam perseverantiam, per quam hæreditatem in cælis accipiatis, quia qui non servaverit disciplinam Patris non meretur hæreditatem ejus. \*\* **1:5** In virtute. Nullus suæ libertatis potentia custodiri valet in bonis, nisi ille perficiat a quo initium bonæ actionis habetis. Laborate de fide per fidem, venturi in salutem æternam, quæ etiamsi modo non apparet, tamen parata est revelari, si nos fuerimus parati. †† **1:6** Nunc, si oportet. Si, id est quamvis oporteat. Vel, si oportet contristari, non deficiamus. †† **1:7** Ut probatio, etc., in laudem. Cum iudex laudans vestram fidem, dicet: Et dedistis mihi manducare, etc Matth. 25.. Pretiosior auro. Bed. Patientia sanctorum auro comparatur, etc., usque ad unde et subjungit: Inveniatur, etc. In laudem. Ut laudabiles et gloriosi sitis per constantiam in revelatione, id est in die iudicii, quando revelabitur quam magnæ potentiæ sit Deus. Et honorem, ut dicatur vobis: Venite, benedicti Patris mei Matth. 25..

animarum. §§ 10 De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt.\*\*\* 11 scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi: prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones, et posteriores glorias:††† 12 quibus revelatum est quia non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea quæ nunc nuntiata sunt vobis per eos qui evangelizaverunt vobis, Spiritu Sancto misso de cælo, in quem desiderant angeli prospicere.††† 13 Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii, perfecte sperate in eam, quæ offertur

---

§§ 1:9 Salutem animarum. Hæc salus multum est amanda, quia de hac salute multum exquisierunt, quando vel quo ordine salus æterna mundo adveniret; unde dicitur: Multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt Matth. 13.. \*\*\* 1:10 Prophetaverunt. Palam hominibus loquendo et exponendo ea quæ in occulto internæ contemplationis ipsi cognoverant. ††† 1:11 In quod vel, etc. Quod tempus, id est quo anno, vel sub quo principe. Quale, bellicosum vel pacificum, vel quo ordine, per partum virginis, vel quo alio modo. Spiritus Christi. Archangelos et propinquos, vocat spiritus, per quos operatur Dominus, quia Christo sunt subjecti. Posteriores glorias. Duæ sunt glorificationes Domini secundum suscepti hominis formam. Una qua resurrexit a mortuis, et alia qua ascendit in cælum ante oculos apostolorum. Restat tertia, et ipsa erit in conspectu hominum, cum in majestate venerit ut reddat cuique secundum opera sua. ††† 1:12 Vobis autem ministrabant. Hoc ideo dicit ut moneat illos curam gerere salutis oblatae, quam sic amaverunt priores sancti. Spiritu sancto. BEDA. Spiritus in prophetis, spiritus in apostolis, ita apparet, quod prophetæ et apostoli eandem salutem nuntiant. Illi venturam, isti impletam. Una itaque Ecclesia, cujus pars præcessit adventum Christi, pars sequitur.

vobis, gratiam, in revelationem Jesu Christi:§§§  
 14 quasi filii obedientiæ, non configurati prioribus  
 ignorantia vestræ desiderii:\* 15 sed secundum  
 eum qui vocavit vos, Sanctum: et ipsi in omni  
 conversatione sancti sitis:† 16 quoniam scriptum  
 est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. 17 Et  
 si patrem invocatis eum, qui sine acceptione per-  
 sonarum judicat secundum uniuscujusque opus,  
 in timore incolatus vestri tempore conversamini.‡  
 18 Scientes quod non corruptilibus, auro vel  
 argento, redempti estis de vana vestra conver-  
 satione paternæ traditionis: 19 sed pretioso san-  
 guine quasi agni immaculati Christi, et incontam-  
 inati:§ 20 præcogniti quidem ante mundi consti-

---

§§§ 1:13 Propter quod. Quia tanta gratia vobis est promissa, ut revelate videatis illam quam nunc vident angeli, tanto amplius digni esse curate, ut eam percipere valeatis. Sperate. Securi exspectate mente, et corpore casti. Nam qui Domino se placere non novit, merito spe bonorum carens, ne citius adveniat, metuit.

\* 1:14 Filii. Et secure possitis exspectare, sitis filii obedientes Patri corripienti. † 1:15 Sanctum. Id est sanctificatum et sanctificantem vos ut in omni conversatione sitis sancti: unde: Estote et vos perfecti, etc. ‡ 1:17 In timore, etc. HIER. Ego cunctis peccatorum sordibus inquinatus, diebus ac noctibus operior cum tremore reddere novissimum quadrantem. Et tempus quo mihi dicatur, Hieronyme, veni foras. Incolatus vestri. Ut possitis esse sancti, habete conversationem vestram in timore, tempore vestri incolatus quandiu in hujus mundi exsilio estis. Beatus enim qui semper est pavidus, hoc dico si Deum invocatis, quasi dicat: Non vere Deum invocatis, nisi solliciti et timidi sitis. § 1:19 Sed pretioso sanguine. Ordo litteræ est: sed pretioso sanguine Christi, quasi agni incontaminati et immaculati. Hic tangit leviticæ et sacerdotales celebrationes. Significat autem animam mundam per justitiam quæ offertur Deo.

tutionem, manifestati autem novissimis temporibus propter vos, <sup>21</sup> qui per ipsum fideles estis in Deo, qui suscitavit eum a mortuis, et dedit ei gloriam, ut fides vestra et spes esset in Deo: <sup>22</sup> animas vestras castificantes in obedientia caritatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentius: <sup>23</sup> renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi, et permanentis in æternum: <sup>24</sup> quia omnis caro ut fœnum: et omnis gloria ejus tamquam flos fœni: exaruit fœnum, et flos ejus decidit. <sup>25</sup> Verbum autem Domini manet in æternum: hoc est autem verbum, quod evangelizatum est in vos.

## 2

<sup>1</sup> Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones,\* <sup>2</sup> sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite: ut in eo

---

\* **2:1** Deponentes igitur omnem malitiam. Quid est malitia? nisi nocendi amor? Quid dolus? nisi aliud agere, aliud simulare? Quid adulatio? nisi fallaci laude, seductio? Quid invidia? nisi odium felicitatis alienæ? Quid detractio? nisi mordacior quam veracior reprehensio? Malitia malo delectatur alieno. Dolus duplicat cor. Adulatio linguam. Detractio vulnerat famam.

crescatis in salutem:† <sup>3</sup> si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus.‡ <sup>4</sup> Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum, et honorificatum: <sup>5</sup> et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.§ <sup>6</sup> Propter quod continet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum: et qui crediderit in eum,

---

† **2:2** Sicut modo geniti. BEDA. Quia sic renati estis, et filii æterni facti, tales estote per studium bonæ conversationis, quales sunt infantes recenter nati per naturam ætatis. Rationabile. Estote infantes per malitiam remotam, rationabiles tamen per sapientiam: nec ratio aliqua ad versutias sæculi vos trahat, sed sine dolo sitis; unde: Estote prudentes sicut serpentes Matth. 10., etc. Lac concupiscite. BEDA. Tangit illos qui ad audiendas sacras lectiones fastidiosi adveniunt, ignari illius sitis et esuriei, de qua Dominus ait: Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam Matth. 5.. Ideoque tardius ad perfecta salutis incrementa perveniunt, quo possint solido cibo verbi refici, id est, arcana cognoscere divina, vel majora facere bona. Ut in eo crescatis. Ut etiam bene discendo, per sacra Dominicæ incarnationis perveniatis ad contemplationem divinæ majestatis. ‡ **2:3** Si tamen gustastis. ID. Hoc pacto purgata cordis malitia, vitalem Christi alimoniam concupiscite, si, quanta sit divina dulcedo, sapitis. Nam qui nihil de ejus dulcedine gustat, non est mirum si hunc terrestribus desideriis sordidare non evitat. § **2:5** Tanquam lapides viri. Per infidelitatem quidem duri et insensibiles, sed per discretionem eruditi vivificantur et apti sunt, ut in Dei ædificio charitate compingantur. Ædificamini. Ad offerendum bona opera, eleemosynas, preces et vos ipsos. Per Jesum Christum. Hoc ad omnia refertur, ædificamini, sacerdotes estis, offertis, et hoc totum, per Jesum Christum, cujus gratia omnia habetis.

non confundetur.\*\* 7 Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem lapis, quem reprobaverunt ædificantes: hic factus est in caput anguli,†† 8 et lapis offensionis, et petra scandali, his qui offendunt verbo, nec credunt in quo et positi sunt.‡‡ 9 Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuntietis ejus qui de tenebris vos

---

\*\* 2:6 Propter quod confirmandum, quod Dominus propter firmitatem suam jure sit lapis vocatus, etc. †† 2:7 Vobis igitur credentibus est honor non credentibus, etc., quem reprobaverunt ædificantes. Ita reprobatus ab istis sicut ab illis, et ille lapis hic, id est credentibus, est factus in caput anguli, et infidelibus factus est lapis offensionis et petra scandali. ‡‡ 2:8 Et lapis offensionis. Cum Christus sit lapis in quo sustententur et tuti quiescant boni, incredulis erit causa offensionis in præsentem non credentibus in eum et ideo cadentes sunt de vitio in vitium. Est in futuro petra scandali, quia ad illum lapidem Christum quem tanquam humilem conculcaverunt, collidentur gressus eorum, et cadent in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus. Offendunt verbo. Offendit verbo qui eo quod verbum audivit; offendit animo, dum quod audivit, non credit, cujus stultitiam exaggerat. Nec credunt in quo positi sunt: per naturam ad hoc sunt facti homines, ut credant Deo et voluntati ejus obtemperent.

vocavit in admirabile lumen suum. §§ 10 Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti. \*\*\* 11 Carissimi, obsecro vos tamquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, ††† 12 conversationem vestram inter gentes habentes bonam: ut in eo quod detrecant de vobis tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum

---

§§ 2:9 Vos autem genus electum. Hoc testimonium laudis quondam antiquo populo per Moysen datum Gentibus dat Apostolus, qui in Christum credunt: qui veluti lapis angularis in eam quam in se Isræl salutem habuerat, gentes adunavit. Regale sacerdotium. Summi sacerdotis corpori uniti, qui regnum sperare, et hostias immaculatæ conversationis Deo offerre debebant. Acquisitionis, in sanguine redemptionis ejus sicut erat quondam populus Isræl redemptus sanguine agni de Ægypto. Unde et in sequenti versu mystice recordatur veteris historiæ, et hanc specialiter in uno populo impletam docet. Annuntietis. BEDA. Sicut liberati de Ægypto, triumphale carmen Domino cantaverunt, ita nos post tenebras dissolutas, post acceptam remissionem per Christum qui nos ducit ad patriam supernæ claritatis debemus Deo rependere gratias dignas cœlestibus beneficiis. \*\*\* 2:10 Qui aliquando. ID. Hinc probatur quod hanc epistolam scribit his qui de gentibus ad fidem venerant. Assumuntur hi versus de prophetia Oseæ in qua agitur de vocatione Gentium. ††† 2:11 Charissimi. ID. Hucusque generaliter instruxit Ecclesiam, etc., usque ad libertas vitæ remissioris majora illecebrarum titillantium tolerare pericula. Tanquam advenas. Eo minus animus terrenis rebus supponite, quo vos patriam in cœlis habere meministis. Reprobi hic habent patriam, cujus desideriis inhiant, ideo relegabuntur in perpetuum exsilium, carentes voluptatibus.



in die visitationis.††† 13 Subjecti igitur estote  
 omni humanæ creaturæ propter Deum: sive regi  
 quasi præcellenti.¶¶¶ 14 sive ducibus tamquam  
 ab eo missis ad vindictam malefactorum, lau-  
 dem vero bonorum:\* 15 quia sic est voluntas Dei,  
 ut beneficientes obmutescere faciatis impruden-  
 tium hominum ignorantiam:† 16 quasi liberi, et  
 non quasi velamen habentes malitiæ libertatem,  
 sed sicut servi Dei.‡ 17 Omnes honorate: frater-  
 nitatem diligite: Deum timete: regem honorifi-

---

††† 2:12 Ex bonis operibus considerantes. ID. Plerumque con-  
 tigit, ut pagani qui vituperabant fidem Christianorum, postea  
 considerantes bonam eorum conversationem, Christum laudare  
 inciperent. ¶¶¶ 2:13 Subjecti igitur estote omni humanæ  
 creaturæ propter Deum, sive regi, etc. Et ut conversatio vestra  
 omnibus placeat, non resistatis alicui dignitati hominum, alicui  
 personæ, alicui principatui cui Deus vos subdi voluit, quia non  
 est potestas nisi a Deo, et qui potestati resistit, Dei ordinationi  
 resistit. Et creaturam per partes exponit dicens, sive Regi, etc.  
 \* 2:14 Tanquam ab eo missis. Multoties Deus aliquem malum  
 tyrannidem exercere permittit, ut et mali confundantur, et boni  
 magis probentur. Ad vindictam. BEDA. Hoc dicit, non tamen  
 ita quod semper fiat, sed quæ esse debeat actio ducis, simpliciter  
 narrat, qui etiamsi bonos damnat; non minus ad laudem eorum  
 pertinet quod agit, si patienter improbitatem ejus tolerant boni, et  
 sapienter ejus astutiæ resistunt. † 2:15 Laudem vero bonorum.  
 Quia sic est. Vere pii, quidquid duces agant, laudem consequuntur:  
 quia hoc vult Deus, qui etiam malis utitur in bonum, unde et vos  
 utamini etiam illis in bonum, sive boni sive mali sint, facientes  
 obmutescere imprudentium hominum ignorantium. Ut quoquo  
 modo eis in bonum utamini, et per eos laudem mereamini, nec ipsi  
 inveniant quid in vobis vituperent, dum etiam ipsos honoratis et  
 patimini, quamvis sint immundi. ‡ 2:16 Non quasi velamen.  
 BEDA. Non habentes libertatem vestram in velamen malitiæ, etc.,  
 usque ad unde addit: Sed sicut servi Dei.

cate. § 18 Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.\*\* 19 Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injuste. †† 20 Quæ enim est gloria, si peccantes, et colaphizati suffertis? sed si bene facientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum. 21 In hoc enim vocati estis: quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum ut

---

§ 2:17 Fratritatem diligite. ID. Et inter omnia, etiam illos qui conditione temporali subjecti sunt vobis, ut fratres in Christo diligite. \*\* 2:18 Servi subjecti. Hucusque exhortatus est liberos ad subjectionem, nunc servis loquitur, ut et ipsi subjecti sint dominis. Non tantum bonis. Alia translatio: Non tantum bonis et modestis: sed etiam difficilioribus. Dyscolis. Id est indisciplinatis. Schola Græce, Latine locus, in quo ad audiendos magistros liberalium artium conveniebant, unde schola vacatio interpretatur, quia ibi vacabant studiis. Scholastici igitur sunt eruditi. Dyscoli indocti et agrestes. Ecce quomodo supra monebat subdi humanæ creaturæ propter Deum. †† 2:19 Si propter conscientiam Dei. Si propter Deum scientem bonam intentionem aliquis patiens a Domino verberatur injuste, cum ei bene serviat, et sustineat, id est leves reputet tristitias, hæc est gratia, et per hoc efficitur gratus Deo, et hoc exigit gratia fidei. Patiens injuste. Si injuste patimini, gratiam Dei acquiritis. Nam si vos suffertis patienter pœnas illatas a dominis, vos dico peccantes nolendo obedire eis et colaphizati ab ipsis dominis, id est sæpe correcti ab illis, ut per colaphos ad obediendum inducamim, quæ gratia erit vobis inde? Nihil, propter hoc accipietis a Deo.

sequamini vestigia ejus:†† 22 qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus: 23 qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se injuste:§§ 24 qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum; ut peccatis mortui, iustitiæ vivamus: cujus livore sanati estis. 25 Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem, et episcopum animarum vestrarum.\*\*\*

### 3

1 Similiter et mulieres subditæ sint viris suis: ut etsi qui non credunt verbo, per mulierem conversationem sine verbo lucrifiant: 2 considerantes in timore castam conversationem vestram. 3 Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti

---

†† 2:21 In hoc enim vocati. Multum glorificat conditionem servorum, quos beneficientes et absque culpa vapulantes a dominis crudelibus, et improbis affirmat imitatores esse Dominicæ passionis. Quia et Christus. BEDA. Cum supra specialiter servos, nunc totam Ecclesiam instruit ut etiam dominis in memoriam revocet, quid pro eorum salute vel liberatione suus auctor pertulerit. §§ 2:23 Tradebat autem iudicanti se injuste. Illis iudicantibus secundum injustam legem, utpote justus existens. Sive, tradebat Deo Patri injuste iudicantes, id est eos qui eum nequissime condemnabant, et neci ejus instabant, ut supplicia sumentes erudiantur. Tangit evangelicam parabolam, ubi dicitur quod pius pastor, relictis nonaginta novem ovibus in deserto, venerit visitare unam quæ perierat. \*\*\* 2:25 Et episcopum. Vel visitatorem, quod idem est. Episcopus enim, id est superintendens, quia oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum. Et, Visitavit nos oriens ex alto.

vestimentorum cultus:\* <sup>4</sup> sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti, et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. <sup>5</sup> Sic enim aliquando et sanctæ mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subjectæ propriis viris. <sup>6</sup> Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans: cujus estis filiæ beneficientes, et non pertimentes ullam perturbationem. <sup>7</sup> Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tamquam et cohæredibus gratiæ vitæ: ut non impediatur orationes vestræ.† <sup>8</sup> In fine autem omnes unanimes, compatiētes fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles: <sup>9</sup> non reddentes malum pro malo,

---

\* **3:3** Quarum non sit. Ordo verborum est iste: quarum cultus non sit capillatura, aut aurum circumdans, aut non sit cultus vestimentorum indumenti, id est, non sint festiva vestimenta quibus induantur. Sed sit vobis ornatus homo cordis interior soli Deo notus, incorruptibilitate spiritus: spiritus dico quieti ab impugnatione vitiorum et modesti, ne superbiat, qui talis spiritus, etsi hominibus non patet, tamen in conspectu Dei est dives. † **3:7** Viri. Quasi dicat: sicut præcepi uxoribus, ut per sanctam conversationem suam lucrifaciant maritos, et serviant illis, similiter præcipio vobis, o viri, ut per vestram conversationem lucrifaciant mulieres, et custodite eas, vos dico cum illis, reddendo debitum, cohabitantes. Et hoc secundum conscientiam, non in passionibus desiderii, sed sicut Deum intelligimus velle, scilicet ut generetis filios in cultum unius Dei, vos dico impartientes honorem vasculo muliebri, quasi infirmiori, et in vestibus, et in aliis necessariis eis providentes: et si aliquando placet illis a coitu cessare, impendite honorem, quia infirmiores sunt. Impendite etiam tanquam cohæredibus gratiæ in præsentem datæ a Deo, et vitæ dandæ in futuro, vel vitæ pro gratia dandæ.

nec maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes: quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis.† 10 Qui enim vult vitam diligere, et dies videre bonos, coërceat linguam suam a malo, et labia ejus ne loquantur dolum. 11 Declinet a malo, et faciat bonum: inquirat pacem, et sequatur eam: 12 quia oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum: vultus autem Domini super facientes mala. 13 Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?§ 14 Sed et si quid patimini propter justitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, et non conturbemini.\*\* 15 Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis

---

† 3:9 Non reddentes. Non solum cessetis reddere malum pro malo, sed etiam pro maledicto date benedictionem. Quia in hoc. BEDA. Quia prohibuerat malum pro malo reddere, etc., usque ad nos quoque pro ipsorum salute (quam precabamur) coronam accepturos. Ut benedictionem. Dicente iudice: Venite, benedicti Patris mei, possidere regnum Matth. 25.. Vel intelligitur benedictio, qua sancti in futura vita benedicent Deum. Quod ergo quisque in futuro venire desiderat, hoc in præsentem meditari et agere satagat, conditorem et fratrem benedicat, et se dignum fraterna benedictione reddat. § 3:13 Et quis est. BEDA. Ideo debitis a malo declinare et facere bonum, quia nemo potest vos retrahere a bono, nec a corona, si persistere volueritis, imo prosunt dum nocere volunt. \*\* 3:14 Timorem autem. In futuro eritis beati, in præsentem autem ne timueritis timorem eorum, id est illa quæ in eis possunt videri timenda, ut est regia potestas, et hujusmodi.

est, spe.†† 16 Sed cum modestia, et timore, conscientiam habentes bonam: ut in eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem.††  
 17 Melius est enim beneficientes (si voluntas Dei velit) pati, quam malefacientes.§§ 18 Quia et Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.\*\*\* 19 In quo et his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit:††† 20 qui increduli

---

†† 3:15 Dominum autem. Sanctitatem Christi; quam sit incomprehensibilis gloriæ, intimo cordis affectu intuemini, et sic ipsum Christum sanctificate in vobis, ut non a memoria, non ab amore recedat. Qui hanc sanctitatem non considerat, deficit ad insidias hostis. Omni poscenti. Volenti mutuo accipere rationabiles pecunias, non negemus. Unde Paulus: In sapientia ambulate propter eos qui foris sunt, scientes quomodo oporteat singulis responderi. Foris enim existentes, id est nondum fideles volunt aliquid cognoscere de spe quæ in vobis est. Qui ergo ecclesiastico præest magisterio, doceat patientes, obstruat resultantes.

†† 3:16 Sed cum modestiæ. In ipsa doctrinæ scientia qualitatem docendi monet observari, ut humilitas et vivendo et loquendo monstretur. §§ 3:17 Melius est. BEDA. Ita debetis calumniatores pati et confundere, etc., usque ad remouetur et æternæ ultioni præparatur. \*\*\* 3:18 Offerret Deo. ID. Quia etiam tunc si qui ad prædicationem Domini (quam per vitam fidelium prætendebant) credere voluissent, ipsos offerre Deo Patri gaudebat. Si qui autem detrahebant de bonis quasi de malefactoribus, imminente diluvio confundebantur. ††† 3:19 In carcere. ID. Qui habent sensum obscuratum tenebris, merito etiam in hac vita dicuntur carcere inclusi, et in hoc interiori carcere mentis operibus injustis gravantur, donec carne soluti in exteriores tenebras projiciantur æternæ damnationis. Habent et justi hic carcerem, sed tribulationum, reprobis vero vitiorum.

fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur arca: in qua pauci, id est octo animæ, salvæ factæ sunt per aquam.††† 21 Quod et vos nunc similis formæ salvos fecit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi.¶¶¶ 22 Qui est in dextera Dei, deglutiens mortem ut vitæ æternæ hæredes efficeremur: profectus in cælum subjectis sibi angelis, et potestatibus, et

---

††† 3:20 Quando exspectabant Dei patientiam. Cum patientia Dei invitaret illos ad pœnitentiam, parcens illis per centum annos quibus Noë ædificabat arcam, per quam ostendebatur quid futurum esset in mundo. Ipsi ergo non utebantur patientia Dei ad pœnitentiam, sed exspectabant eam quasi esset duratura semper. Noë. Noë interpretatur requies, et significat Christum qui dat suis fidelibus requiem animarum. Cum fabricaretur arca. BEDA. Sicut arca fabricata est de lignis levigatis, sic Ecclesia de collectione fidelium animarum: et sicut pereunte mundo pauci salvi facti sunt per aquam: sic ad comparisonem pereuntium parvus est electorum numerus, quia angusta est via quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam. ¶¶¶ 3:21 Quod et vos similis formæ. Baptisma facit salvos, baptisma dico similis formæ, id est per omnia assimilatum illi arcæ, quia quidquid ibi carnaliter, hic spiritualiter geritur. Non carnis depositio, etc. Non dico illum baptisma salvare, ubi tantum est depositio sordium carnis, id est ubi caro tantum abluitur exterius (quod hæretici habuerunt), sed ubi est interrogatio puræ conscientiæ, id est, ubi interrogatur et exigitur a baptista bona conscientia baptizandi: quia tale baptisma salvat, aliud occidit; interrogatio facta est tendens in Deum, ut per bonam conscientiam unum efficiatur cum Deo.

virtutibus.\*

## 4

<sup>1</sup> Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne, desiit a peccatis:\* <sup>2</sup> ut jam non desideriiis hominum, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis. <sup>3</sup> Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam his qui ambulaverunt in luxuriis, desideriiis, violentiis, comessionibus, potationibus, et illicitis idolorum cultibus. <sup>4</sup> In quo admirantur non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusionem, blasphemantes.† <sup>5</sup> Qui reddent rationem ei qui paratus est judicare vivos et mortuos. <sup>6</sup> Propter hoc enim et mortuis evangelizatum est: ut judicentur quidem secundum homines

---

\* **3:22** Deglutiens mortem. BEDA. Quod deglutimus, agimus ut in corporibus nostris assumptum nusquam pareat: Dominus sic mortem funditus consumpsit, ut nihil contra se valeret, et manente specie veri corporis, abesset labes priscae fragilitatis. Quod etiam nobis promittitur, unde addit, ut et nos vitæ æternæ hæredes efficeremur. Subjectis sibi angelis. Semper angelos subjectos fuisse Filio Dei non dubitamus, sed hic ideo subjectionis meminit, ut assumptam humanitatem ita in resurrectione sublimatam monstraret, quod omni angelicæ dignitatis potentiae præferatur. Unde, omnia subjecisti sub pedibus ejus Psal. 8.. \* **4:1** Quia qui passus. BEDA.. Qui timore judiciorum cœlestium carnales in mente concupiscentias exstinguit, jam similis Christo crucifixo, quasi mortuus existens peccatis. Dei tantum servitio vivit. † **4:4** Blasphemantes. ID. Et si blasphemant vos segregatos a perfidia sua, tamen in conversatione vestra opera justitiæ et pietatis videntes mirantur, et fidem quodammodo venerantur.



in carne, vivant autem secundum Deum in spiritu. † 7 Omnium autem finis appropinquavit. Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus. § 8 Ante omnia autem, mutuum in vobismetipsis caritatem continuam habentes: quia caritas operit multitudinem peccatorum. \*\* 9 Hospitales invicem sine murmuratione. 10 Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. 11 Si quis loquitur, quasi sermones Dei: si quis ministrat, tamquam ex virtute, quam administrat Deus: ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum: cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen. †† 12 Carissimi, nolite

---

† 4:6 Propter hoc enim et mortuis evangelixatum est. BEDA. Tanta cura est Deo nos mortificari carne, etc., usque ad ut ratio ipsorum damnet mala in impiis. § 4:7 Omnium. Quia dixerat in iudicio iudicandos vivos et mortuos, ne quis blandiretur sibi de longinquitate futuri iudicii, consulte admonet, quia etsi incertus adventus est extremi discriminis, tamen certum est omnibus quod in hac vita diu subsistere nequimus. Vigilate in orationibus. BEDA. Ne animus aliquid cogitet præter id solum quod precatur. Cum ad orandum stamus, omnis carnalis cogitatio absistat, intentio cordis sincera Deum non sono vocis, sed sensu animi oret. \*\* 4:8 Charitatem continuam habentes. ID. Qui per charitatem proximum monet, increpat, etc., usque ad quamvis in publicum non semper ostendi, potest. †† 4:11 Si quis loquitur. Si quis habet scientiam loquendi, non sibi, sed Deo imputet: timeat ne præter voluntatem Dei, vel auctoritatem sanctarum Scripturarum, vel præter utilitatem, fratrem doceat, nec quod dicendum est, taceat. Si quis ministrat. BEDA. Cum omnia bene et secundum voluntatem ejus feceritis, non vestris meritis, sed gratiæ ejus attribuat, ut alii videntes vestra bona opera, glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.

peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat: †† 13 sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exsultantes. 14 Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ, et virtutis Dei, et qui est ejus Spiritus, super vos requiescit. §§ 15 Nemo autem vestrum patiatutur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. 16 Si autem ut christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine: 17 quoniam tempus est ut incipiat iudicium a domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio? \*\*\* 18 et si justus vix salvabitur,

---

†† 4:12 Charissimi, nolite. Si patimini fervorem tribulationum quæ contra rationem inferuntur ad vestram probationem et gloriam, non ideo putetis vos esse exsules a membris Christi, et nolite mirari de illatis malis, ut per illa tentet vos Deus et probet, quia antiquum et frequens est electos Dei pro æterna salute in præsentia adversa pati. §§ 4:14 Beati eritis, etc. Qui patitur pro nomine Christi, beatus; non enim debetis credere quod sine remuneratione patiamini, sicut illi qui pro suis sceleribus patiuntur, et inviti puniuntur. Spiritus ejus super vos requiescit. Quia requiescent super vos patientes, et in præsentia ex parte ad bene operandum, et in futuro perfecte ad remunerandum. \*\*\* 4:17 Quoniam tempus, etc. BEDA. Ideo patiendum est pro nomine Christi, etc., usque ad reprobos vero nunc ducunt in bonis suis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt Job. 21..

impius et peccator ubi parebunt?††† 19 Itaque et hi, qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis.†††

## 5

<sup>1</sup> Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro, con-senior et testis Christi passionum: qui et ejus, quæ in futuro revelanda est, gloriæ communi-

---

††† 4:18 Et si justus, etc. ID. De Proverbiis hoc sumptum est juxta veterem editionem. In nostra quæ secundum Hebraicam veritatem, ita est: Si justus in terra recipit, quanto magis impius et peccator? id est, si tanta est fragilitas moralis vitæ, ut nec justique quidem (qui in cælo coronandi sunt) hanc sine tribulationibus propter innumerabilem vitiatæ naturæ labem transeant: quanto magis hi qui cœlestis gloriæ sunt exsortes, certum damnationis suæ perpetuæ exitium spectant! AUG. Quæritis causam quare justus vix in Dei judicio salvus esse possit, et quare? nisi quia Dei justitiam tantam esse certum est, ut interdum quæ videntur in hominibus nostro judicio esse justa, judicio Dei inveniuntur injusta, secundum illud: Homo videt in facie, Deus autem intuetur cor I Reg. 16.. BEDA. Non est laboriosum Deo liberare justum; sed ut ostendatur quod merito fuerit damnata tota humana natura, non vult facile de tanto malo ipse Deus liberare: propter quod et peccata proclivia sunt et laboriosa justitia, nisi amantibus: sed charitas quæ homines amantes facit, ex Deo est. ††† 4:19 Commendent animas suas, etc. Et quia incipit iudicium a domo Domini, et per multas tribulationes oportet ingredi in regnum Dei, itaque hoc restat illis passuris: ut quando patiuntur secundum quod Deus vult, id est propter justitiam, commendent animas suas Deo, nil de se præsumentes, ut et hic, secundum quod vult, purget, et in futuro beatificet, quia fidelis est bona reddendo illis quos creavit. Patiuntur dico in benefactis, non propter peccata.

cator: \* 2 pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie: † 3 neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. 4 Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. 5 Similiter adolescentes subditi estote senioribus. Omnes autem invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. ‡ 6 Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis: § 7 omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. 8 Sobrii estote, et vigilate: quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret: \*\* 9 cui resistite fortes in fide: scientes eamdem passionem ei quæ

---

\* 5:1 Seniores. Cum supra distincte monuisset liberos et servos, viros et ipsas mulieres, post interpositam communem exhortationem, sic alloquitur senes et juvenes. † 5:2 Non coacte. Nolite prædicare Evangelium, ut de Evangelio vivere possitis, sed spontanee secundum Deum, id est tantum intuitu supernæ mercedis. ‡ 5:5 Similiter adolescentes. BEDA. Postquam seniores, quomodo præessent, etc., usque ad continuo generaliter admonendo subdit: Omnes autem invicem humilitatem insinuate, senes quidem docendo, juvenes autem subsequendo. § 5:6 Humiliamini. BEDA. Quæ sit gratia quam Deus confert humilibus, etc., usque ad sequitur congrua merces exaltationis. \*\* 5:8 Tanquam leo rugiens, etc. Sicut rugitus leonis impedit aures, ne alium sonum excipiant, sic diabolus fidelium mentes terrendo, et illicita suggerendo, a via veritatis, ne vocem Christi audiant, avertit.

in mundo est vestræ fraternitati fieri.†† 10 Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. 11 Ipsi gloria, et imperium in sæcula sæculorum. Amen. 12 Per Silvanum fidelem fratrem vobis, ut arbitror, breviter scripsi: obsecrans et contestans, hanc esse veram gratiam Dei, in qua statis.‡‡ 13 Salutatur vos ecclesia quæ est in Babylone coëlecta, et Marcus filius meus.§§ 14 Salutate invicem in osculo sancto. Gratia vobis omnibus qui estis in Christo Jesu. Amen.

---

†† 5:9 Scientes. BEDA. Tanto majorem habete fiduciam, etc., usque ad pudeat vos solos præ omnibus non posse pati. ‡‡ 5:12 Scripsi. Vobis, inquit, scripsi non ut imperans, sed obsecrans et contestans auctoritate Scripturarum hanc esse veram gratiam quam scribendo prædico, quia non est in alio aliquo salus, in quo oportet vos salvos fieri. Vel, obsecrans vos, ut hanc gratiam in qua statis, et qua imbuti estis, esse faciatis veram gratiam vestram et teneatis ut proficientem vobis. Qui gratiam spernit non gratiam minuit, sed hanc non suam, id est non sibi utilem reddit. §§ 5:13 In Babylone. BED. Romam vocat Babylonem propter confusionem multiplicis idololatriæ, etc., usque ad pressura diaboli non potest esse immunis.

**Bibbia Vulgata Clementina na 1598**  
**Clementine Vulgate of 1598 with Glossa Ordinaria**  
**Migne edition 1880 in Latin**

Public Domain

Language: Latine (Latin)

Translation by: Jerome

2014-08-23

---

PDF generated using Haiola and XeLaTeX on 11 Nov 2022 from source files  
dated 9 Oct 2020

7ca33455-379f-554d-a635-9009adb90c5